



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CCXVIII. Quatra pars reddituum a Patriarchali, Archiepiscopalibus, &
Episcopalibus Ecclesiis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis existentibus
alias dismembrata favore Dignitatum Canoniorum, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

CCXVII.

Confirmatio quarundam Resolutionum Congregationis Particularis pro Expositis Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Leander Card. Portia Visitator hujus Archihospitalis cum facultate a se ad id assumendi.

§. 1. **A**lias nos nempe die 30. Septembris 1737. proxime elapsi ad Ecclesiam, Domui, Valetudinario, sive Archihospitali, mensaque Nummulariae Sancti Spiritus in Saxia nuncupati hujus Almae Urbis nostrae rationibus opportune providendum, dilectum filium nostrum Leandrum Tit. S. Callisti Presbyterum S. R. E. Cardinalem Portiam nuncupatum Visitatorem Apostolicum cum omnibus, & singulis facultatibus necessariis, & opportunis, ac praesertim sibi in subsidium assumendi unum, aut plures Romanae Curiae Praelatos, sive personas sibi benevolas, ut quacumque ad Ecclesiam, Domus, Valetudinarium, sive Archihospitalis, mensaque Nummulariae praedictae levamen, utilitatemque proficua, ac saluberrima statuenda, atque providenda fore existimasset, pro sua spectata fide, prudentia, doctrina, charitate, religionis zelo, ac rerum agendarum dexteritate, & experientia provideret, ac statueret, constituimus, & deputavimus, prout in aliis nostris in simili forma Brevis literis desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

A Congregatione Particulari statutum, ut in unaquaque Provincia stabiliantur modus educandi Infantibus expositos.

§. 2. Cum autem inter cetera haecenus inita consilia, adhibitaque remedia illud etiam necessarium esse judicaverit, ut aliquo pacto diminuerentur magna impendia & sumptus, qui sunt ob curam educationemque Infantium expositorum qui ex Provinciis etiam Ecclesiastici status nostri, tam extra, quam intra districtum Almae Urbis praefatae quotidie numerosissimi afferuntur, ac propterea nobis humiliter supplicaverit, ut ad hujusmodi effectum Congregationem particularem nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, aliorumque Romanae Curiae Praelatorum deputarem, quemadmodum deputavimus, a qua quidem Congregatione particulari a nobis deputata, & habita die 7. mensis Januarii proxime praeteriti considerata, & resoluta fuerunt. I. Dictum Archihospitale impotens omnino esse ad ferendum onus admittendi, ac alendi Projectos intra, & extra Urbis Districtum natos; ac proinde. II. In incumbere unicuique respective Provinciae ex iis, ex quibus antea deferebantur ad dictum Archihospitale, ac ut id exequatur. III. In unaquaque Provincia statuendum esse locum, & modum, ut ii respective alantur. IV. Data fuit eidem Leandro visitatori facultas eligendi aliquem Praelatum, qui cum facultatibus perquam amplissimis a nobis impetrandis se conferat ad dictas Provincias, ac adhibito Consilio Ordinariorum Gubernatorum, necnon Deputatorum Communitatum; Quod resolutum fuit, integre exequatur.

Hujusmodi Decretum confirmatur a Clemente.

§. 3. In quorum sequelam idem Leander visitator ad mentem Congregationis praefatae praelegit in Praelatum ad exequendum praedicta dilectum filium Magistrum Martinum Inni cum Caraccioli in utraque Signatura nostra Referendarium. Subinde vero die 13. ejusdem mensis Januarii facta nobis omnium relatione praefertat Resolutiones approbavimus, ac pro firmiori illarum subsistentia de praesenti motu proprio, & ex certa Scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine tenore praesentium iterum approbamus, & confirmamus illisque Apostolicae firmitatis robor adjicimus.

Firmitas haec.

§. 4. Decernentes eisdem praesentes literas,

Bullarii Romani Contin. Pars IX.

firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid fecus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Februarii 1738. Pont. nostri Anno VIII.

Obstantium derogatio.

Dat. die 7. Febr. 1738. An. VIII.

Quarta pars reddituum a Patriarchali, Archiepiscopalis, & Episcopalis Ecclesiis in Portugalliae, & Algarbiorum Regnis existentibus alias dismembrata favore Dignitatum Canonicorum, & Beneficiatorum Patriarchalis Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis a se. re. Clemente XI., & Innocentio XIII. summis Pontificibus, ampliatur ad tertiam dictorum reddituum partem, alique Ecclesiastici redditus pro earumdem Dignitatum, & Canonicorum decentiori sustentatione, & Patriarchalis Ecclesiae manutentione perpetuo applicantur.

CCXVIII.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Religiosa Christianorum Principum erga divini servitii decorem vota paterno prosequimur affectu, eaque ad debitum, prout pastoralis nostri muneris sollicitudo, & laudabilis eorumdem Principum exigit devotio, perduci implementum. Quapropter dum Nos providam nostrae considerationis aciem dirigimus ad inclitam, & vere regiam charitatem Charissimi in Christo filii nostri Joannis hoc nomine Quinti Portugalliae, & Algarbiorum Regis Illustris, qui in Regnis suis non solum temporalium, verum etiam, & praecipue spiritualium rerum sublime nomen ad divini servitii gloriam, erigendamque ad beatam Sion Populorum suorum devotionem personare, & in ejus Patriarchali Ecclesia Ulixbonensi Occidentali Coelestis Beatorum Civium Aulae imaginem exhibente in teris personas divinis obsequiis jugiter insistentes pro earum debita manutentione, & prout Patriarchalis Ecclesiae praedictae postulat dignitas, novis facultatibus, annuisque redditibus communiri, eisque sic communitis, Coelestis Aulae, ac Beatorum Civium praedictorum in Patriarchali Ecclesia hujusmodi sibi, Populisque suis elucescere majestatem piissimis, ac vere fidelissimo Rege dignis exoptat affectibus, ad desideria sua hujusmodi Apostolicae liberalitatis nostrae partes favorabiliter interponimus, prout pensatis desideriorum praedictorum erga divini servitii decorem meritis, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Proccemium.

§. 1. Alias siquidem se. re. Clemens Papa XI. Praedecessor noster, postquam ipse Patriarchalem Ecclesiam Ulixbonensem Occidentalem ab eo erectam, & institutam, ob suorum insignia meritum, copioso privilegiorum, & Indulgentiarum ac aliarum gratiarum Apostolica auctoritate concessorum thesauro ditaverat, ut in ea divinarum rerum cultus suo quoque par esset decori, ejusdemque Patriarchalis Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis fructibus, redditibus, & pro-

Clemens XI. erectam a se Patriarchalem Ecclesiam dotavit ex dismembratione quartae partis fructuum ceterarum Ecclesiarum.

ventibus Ecclesiasticis, per quos Dignitates, Canonici, & Beneficiati, ceterique dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Ministri se decenter sustentare valerent, suis quoque fulgor elucesceret, & majestas; motu ejus proprio à Prædicta Patriarchali Ulixbonensi Occidentali, ac Archiepiscopalibus, & Episcopalibus in Portugallia, & Algarbiorum Regnis consistentibus Ecclesiis quartam partem earundem fructuum, reddituum, & proventuum naturalium, industrialium, & Civilium summam triginta trium millium centum triginta septem ducatorum auri de Camera constituentem dismembravit, & separavit, & ex Cantoratus, qui ad centum quinquaginta quatuor, tertiam partem eorum, videlicet quinquaginta unum, ex Thesauraria majoris nuncupatæ, qui etiam ad centum quinquaginta quatuor, tertiam partem eorum, videlicet quinquaginta unum, ex scholastica respective Dignitatum, qui similiter ad centum quinquaginta quatuor, tertiam partem eorum, videlicet quinquaginta unum, ac ex quindecim Canonicatum, & Præbendarum Sacularis, & forsan insignis Collegiata Ecclesiæ S. Mariæ de Alcacova Oppidi de Santarem Ulixbonensis Occidentalis Diœcesis, qui videlicet quorumlibet eorum ad centum quinquaginta quatuor, & insimul ad bis mille trecentos decem, tertiam partem uniuscujusque eorum, videlicet quinquaginta unum pro quolibet; & insimul septingentos sexaginta quinque, ac ex Prioratus, qui ad trecentos octoginta quatuor, quatuor nonas partes eorum, videlicet sexaginta novem, & ex Archiepiscopatus, qui ad centum quadraginta duos, quartam partem eorum videlicet triginta quinque, & ex Thesauraria, etiam respective Dignitatum, qui ad quadringentos, quatuor nonas partes eorum, videlicet centum septuaginta octo, ac ex trium Canonicatum, & Præbendarum etiam Sacularis, & forsan insignis Collegiata Ecclesiæ Oppidi de Barcellos Bracharensis Diœcesis respective fructibus, redditibus, & proventibus, qui videlicet cujuslibet eorum ad centum triginta septem, & insimul quadringentos undecim, quartam partem eorum, videlicet trigintaquinque pro quolibet, & insimul ad centum quinque, nec non ex Prioratus, qui ad quingentos viginti duos, quatuor nonas partes eorum, videlicet ducentos triginta duos, ex Cantoratus, qui ad trecentos quadraginta septem, quatuor nonas partes eorum, videlicet centum quinquaginta quatuor, ex Thesauraria etiam respective Dignitatum, qui ad ducentos sexaginta, quatuor nonas partes eorum, videlicet centum sexdecim, ac ex decem Canonicatum, & Præbendarum pariter Sacularis, & forsan insignis Collegiata Ecclesiæ S. Mariæ de Ourem Leiriensis Diœcesis respective fructibus, redditibus, & proventibus, qui videlicet cujuslibet eorum ad centum septuaginta tres ducatos auri de Camera hujusmodi annuatim respective ascendeant, & insimul mille septingentos triginta ducatos auri similes constituiebant, duas quintas partes eorum, videlicet septuaginta pro quolibet, & insimul septingentos ducatos auri pares respective constituentes, respective dismembravit, & separavit, ac S. Mariæ Oppidi de Obidos Ulixbonensis Occidentalis Diœcesis, cujus quadringentorum quinquaginta octo, & S. Mameis loci de Lindoso, cujus ducentorum triginta quatuor, ac S. Jacobi loci de Anha, cujus quadringentorum octodecim, ac S. Mariæ Oppidi de Chaves Bracharensis respective Diœcesis, forsan habitualem tantum, nullatenus vero actualem curam animarum habentes Ecclesias, seu Cappellas, aut respective in eis, vel aliis respective locorum Ulixbonensis Occidentalis, & Bracharensis respective Diœcesum hujusmodi, & respective Ecclesiis toridem perpetua simplicia Ecclesiastica, Prioratus, seu Abbatis, etiam

respective nuncupatas, seu nuncupata, ad, vel sub Sanctæ Mariæ, ac S. Mameis, & S. Jacobi, nec non S. Mariæ hujusmodi respective Altaria, seu respective Invocationibus, cujus quingentorum quinquaginta trium ducatorum auri similia respective fructus, redditus, & proventus valorem annuum non excedebant, certo tunc expresso modo vacantes, seu vacantia sub certis modo, & forma tunc expressis suppressit, & extinxit; ac quartam partem omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, & proventuum tam naturalium, quam industrialium, & civilium Patriarchalis Ulixbonensis Occidentalis, Archiepiscopatum, & Episcopatum Ecclesiarum hujusmodi; nec non alios fructus, redditus, & proventus ex Dignitatum, ac Canonicatum, & Præbendarum Collegiatarum hujusmodi fructibus, ut præfertur dismembratam, & separatam, ac dismembratos, & separatos, nec non Ecclesiarum, seu Cappellarum, aut Beneficiorum, ut præfertur suppressarum, & extinctarum, seu suppressorum, & extinctorum hujusmodi fructus, redditus, & proventus, Dignitatibus, & Canonicatibus, & Præbendis nec non duodecim Beneficiis ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis sub certis modo, & forma similiter tunc expressis Apostolica autoritate præfacta Motu ejus Proprio, & de Apostolica potestatis plenitudine applicavit, & assignavit, ac respective annexit, & incorporavit, ac alias prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis ab ejusdem recordationis Innocentio XIII. similiter Prædecessore nostro, pro eo, quod prædictus Clemens Prædecessor, antequam ipse desuper conficeretur, sicut Domino placuit, ab humanis decesserat, in forma *Rationi congruit* desuper expeditis sub datum videlicet apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo primo, quod prædictus Clemens Prædecessor, Pontificatus sui Anno I. plenius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus prædicti fructus, ut præfertur, applicati congruenti, ac honorificæ pro tempore existentium Dignitatum, ac Canonicorum, aliorumque ministrorum eidem Patriarchali Ulixbonensi Occidentali Ecclesiæ inservientium substantiationi & decori, onerumque eidem Patriarchali Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentali incumbentium supportationi impares esse dignoscantur; earundemque literarum Apostolicarum executio suspensa extiterit, & adhuc existat de præsentibus.

§. 3. Nos igitur, qui Patriarchalem Ecclesiam Ulixbonensem Occidentalem præfatam pari, paternoque prosequimur affectu probe scientes pia prædicti Joannis Regis erga divini cultus in prædicta Patriarchali Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentali augmentum, ejusque decorem desideria, & ne diutius ipsa convenientibus suæ Dignitati, onerumque ab ipsa sustinentur supportationi ac congruis ei famulantium mantentioni, & honorificentia orbara remaneat subfidiis; Dilectos filios modernos dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Dignitates, & Canonicos, ac eorum quemlibet a quibusvis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentibus tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, nec non præfati Clementis Prædecessoris literas ab Innocentio Prædecessore prædicto in dicta forma expeditas, earumque totum, & integrum tenorem præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum pro insertis habentes, easque, ac omnia, & singula in eis contenta, nisi quatenus præsentibus adveniant, approbantes, confirmantes, & innovantes, & si qui desuper defectus quomodolibet intervenerint, revalidantes; Motu simili, non ad alicujus nobis

Causæ novæ
faciendæ
concessionis.

Concessio,
de qua in Rubrica.

super

supra hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque pari Apostolica potestatis plenitudine, a Trento consensu dicti Joannis Regis ad hunc effectum, ut accepimus, jam praestito, a Patriarchali Ulixbonensi Occidentali, ac Archiepiscopali bus, & Episcopali bus Ecclesiis in Portugallia & Algarbiorum Regnis existentibus praedictis, ac quarum insimul fructus, redditus, & proventus ad centum triginta duos mille quingentos sexaginta sex ducatos auri pares, ut etiam accepimus, annuatim ascendunt, ex omnibus, & singulis earum respective fructibus, redditibus, & proventibus naturalibus, industrialibus, & civilibus, ex censibus, laudemis, contributionibus praedialibus vulgo *Pitancas*, aliisque obventionibus, nec non ex jurisdictione etiam temporali, & ex Cancellaria, ac luctuosarum proventibus provenientibus, ceterisque emolumentis quibuscumque ad Patriarchalem Ulixbonensem Occidentalem, ac Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias praedictas quocumque titulo etiam unionis, donationis, contractus cujuslibet etiam onerosi, aut legati etiam personalis nuncupati, vel alia quavis causa, seu jure, nunc, & pro tempore etiam de novo in futurum respective spectantibus, loco quartae partis earum cujuslibet respective fructuum, reddituum, & proventuum a praedicto Clemente Praedecessore ab eis respective dismembrata, ejusdemque Patriarchalis Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Praebendis applicatae insimul ad triginta tres mille centum triginta septem ducatos auri de Camera hujusmodi, ut praefertur ascendentes, tertiam earundem respective fructuum, reddituum, & proventuum naturalium, industrialium, & civilium ex censibus, laudemis, contributionibus praedialibus vulgo *Pitancas*, aliisque obventionibus, nec non ex jurisdictione etiam temporali, & ex Cancellaria, ac luctuosarum proventibus provenientibus, ceterorumque emolumentorum quorumcumque ad Patriarchalem Ulixbonensem Occidentalem, ac Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias praedictas quocumque titulo etiam unionis, donationis, contractus cujuslibet etiam onerosi, aut legati, etiam personalis nuncupati, vel alia quavis causa, seu jure, nunc, & pro tempore, etiam de novo in futurum respective spectantium partem insimul ad quadraginta quatuor mille centum octoginta octo ducatos auri hujusmodi annuatim nunc, & etiam pro tempore ascendentes, & quod Ecclesias praedictas, quae Pastoris solatio ad praesens destitutae existunt, a die data earundem praesentium, quo ad alias vero, quae suo respective Pastore viduatae non reperiuntur, ex nunc pro tunc, & cum primum illas, & earum quamlibet, eodem Pastoris solatio destitui contigerit, nec non ex Decanatu post Pontificalem majore, cujus mille ducentorum nonaginta novem; nec non ex Cantoratu, cujus quingentorum nonaginta quatuor; & ex uno de Braga cujus septingentorum quinquaginta sex; ac ex altero Archidiaconatibus de Colimbria respective nuncupati, cujus ducentorum triginta septem, ac ex Thesaurariatu majori nuncupato, cujus aliorum septingentorum quadraginta septem, ac ex Scholastia respective Dignitatibus, cujus octingentorum septuaginta sex, & Julii unius; nec non ex uno, & una, quem, & quam Antonius Magalhaens, ac quorum quadringentorum quinquaginta novem; nec non ex alio, & alia, quem & quam Simon Barbosa, ac quorum quadringentorum nonaginta octo; ac ex alio, & alia, quem, & quam Ignatius de Aravio, ac quorum quadringentorum quadraginta septem, ac ex alio, & alia, quem, & quam Emanuel Pereira de Aravio, ac quorum octingentorum triginta unius; ac ex alio, & alia, quem, & quam Joannes Soares Monteiro, ac quarum quadringentorum tri-

ginta quinque; nec non ex alio, & alia quem, & quam Antonius Ribeiro de Macedo, ac quorum quingentorum quadraginta trium, ac ex reliquo Canonicatibus, & reliqua Praebendis Ecclesiae Bracharensis, quem, & quam Gonzalvus Antonius de Soufa, aut alias forsitan respective nominati, & seu cognominati Clerici, seu Presbyteri dilecti etiam filii, vel eorum, aut alicujus eorum forsitan Successores, seu Successor ad praesens respective obtinent, ac quorum quadringentorum octoginta; nec non ex Decanatu etiam post Pontificalem majore, cujus mille sexcentorum; ac ex Scholastia similiter respective Dignitatibus, cujus octingentorum quinquaginta octo, nec non ex undecim Canonicatibus, & non tamen Doctorali, & Magistrali respective nuncupatis, Praebendis Ecclesiae Elborensis, quorum, & quarum insimul novem mille quadringentorum triginta octo; ac ex quinque Canonicatibus cum dimidia Praebenda, seu dimidiis Canonicatibus, & dimidiis Praebendis ejusdem Ecclesiae Elborensis etiam ex illo, & illa, cujus altera dimidia fructuum pars Tribunali Sacrae Inquisitionis perpetuo applicata reperitur, ac quorum, & quarum insimul bis mille centum quadraginta quinque; nec non ex Decanatu similiter post Pontificalem majore, cujus sexcentorum octoginta septem; nec non ex Thesaurariatu majori nuncupato Ecclesiae Colimbriensis, cujus octingentorum quinquaginta octo; nec non ex Decanatu post Pontificalem majore, cujus nongentorum triginta; ac ex Cantoratu, cujus quingentorum nonaginta quatuor, ac ex uno de Baculo, seu de Valdigem, cujus septingentorum sexaginta quinque, ac ex altero Archidiaconatibus de Regoa respective nuncupatis Ecclesiae Lamacensis, cujus quadringentorum triginta quinque; nec non ex Decanatu etiam post Pontificalem majore, cujus mille trecentorum triginta duorum; nec non ex Cantoratu, cujus sexcentorum septuaginta duorum; nec non ex Scholastia, cujus sexcentorum septuaginta duorum; nec non ex Archidiaconatu etiam Baculo, seu de Meinedo nuncupato, cujus octingentorum septuaginta; nec non ex Archipresbyteratu Ecclesiae Portugallensis, cujus sexcentorum sexaginta trium; nec non ex Thesaurariatu majori nuncupato, cujus quingentorum nonaginta unius, & Juliorum novem cum dimidio; nec non ex uno da Guarda, cujus ducentorum triginta unius; nec non ex alio de Seolorico, cujus ducentorum quinquaginta octo, nec non ex reliquo Archidiaconatibus de Covilliam respective nuncupatis Ecclesiae Aegitanensis, nullam, vel modicam tantum residuum requiruntibus, cujus aliorum ducentorum triginta unius; nec non ex Cantoratu, cujus septingentorum quatuordecim, & Juliorum quinque Monetæ Romanæ; ac ex Scholastia, cujus quadringentorum viginti novem; nec non ex Archidiaconatu etiam de Baculo nuncupato Ecclesiae Vifensis Dignitatibus inibi respective, non tamen post Pontificalem majorem, existentibus, ac quorum & quarum aliquibus ex Dignitatibus cum dimidia Praebenda, seu dimidiis Canonicatibus, & dimidiis Praebendis praedictis nonnullae Parochiales Ecclesiae, & seu illarum fructus perpetuo unitæ, annexæ, & incorporate, & seu uniti, annexi, & incorporati respective reperiuntur, ac cujus, & praedictorum, & forsitan aliorum illis respective annexorum ducentorum triginta unius ducatorum auri de Camera hujusmodi respective fructus, redditus, & proventus secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut similiter accepimus, non excedunt; quique omnes insimul annuam summam triginta trium millium quadringentorum sex ducatorum auri similibus, & Juliorum quindecim Monetæ praefatae cum dimidio alterius Julii similis, ut pariter accepimus, constituunt, totidem singulas Dignitatum, ac Canonicatum, & Praebendarum, nec non Canonicatum cum dimidia

Enunciatio
Taxae cujuslibet
Dignitatis, & Canonicatus.

Præbenda, seu dimidiorum Canonicatum, & dimidiarum Præbendarum, ac eorum, & eorum cujuslibet respective fructuum, reddituum, & proventuum præfatorum, etiam ex distributionibus quotidianis, decimis, & aliis quibuscumque proventibus, etiam ratione eis, & eorum cuiuslibet præfatorum, & aliorum forsan respective annexorum, nec non bonis, proprietatibus, Juribus, censibus, laudemis, contributionibus prædialibus vulgo *Pitancas*, ceterisque proventibus, obventionibus, & emolumentis quibuscumque certis, & incertis in pecunia, vel fructibus, aut quibuslibet aliis rebus quomodolibet consistentibus proventium, & ad Dignitates, ac Canonicatus, & Præbendas, nec non Canonicatus cum dimidia Præbenda, seu dimidios Canonicatus, & dimidias Præbendas, illosque, & illas pro tempore obtinentes quocumque titulo etiam unionum, donationum, oblationum, lucuofarum, contractus cujuslibet etiam onerosi, aut legatorum etiam personalium, nuncupatorum, seu alia quavis causa, vel jure nunc, & pro tempore, & seu etiam de novo, aut in futurum spectantium respective tertias partes, quæ infimul annuam Summam undecim millium centum triginta sex ducatorum auri similia, & Juliorum undecim constituunt; nec non ex uno Oliveira, quæ mille nonaginta quatuor illorum medietatem, videlicet quingentos quadraginta septem, & ex altero Archidiaconatus de Regoa respective nuncupatis præfata Ecclesiæ Portugallensis inibi respective Dignitatibus, non tamen post Pontificalem majoribus, existentibus, quibus pariter, ut etiam accepimus, nonnullæ Parochiales Ecclesiæ, & seu illarum fructus perpetuo respective unitæ, annexæ, & incorporatæ, & seu uniti, annexi, & incorporati reperuntur; ac cujus bismille centum nonaginta duorum ducatorum auri parium respective fructus, redditus, & proventus secundum æstimationem præfatorum valore annuum, ut pariter accepimus, non excedunt, tres ex quatuor eorumdem fructuum, reddituum, & proventuum ex eis etiam, ut præfertur proventium, & ad eos similiter quocumque titulo, aut qualibet ex causa nunc, & in futurum, ut præfertur spectantium, & seu unitorum, annexorum, & incorporatorum præfatorum partes, videlicet mille sex centos quadraginta quatuor ducatos auri partes; ac insuper unius de Barrolo, cujus quingentorum duorum; ac alterius S. Christinæ, cujus mille ducentorum quadraginta sex, & Juliorum septem monetæ cum dimidio alterius Julii similis; nec non alterius de Fonte arcada, cujus mille centum sexaginta quinque, & Juliorum duodecim Monetæ præfata cum dimidio alterius Julii similis; nec non alterius de Labruge, cujus quingentorum quatuordecim, & Juliorum quinque Monetæ præfata; nec non alterius de Neiva, cujus quingentorum, nec non alterius de Villanova de Cerveira, cujus trecentorum triginta unius, & Juliorum septem Monetæ præfata cum dimidio alterius Julii similis in præfata Bracharensi, nec non alterius etiam de Baculo, cujus quadringentorum viginti octo, & Juliorum decem Monetæ præfata, ac alterius de Sexta in prædicta Elborensi, cujus quadringentorum viginti octo quinquaginta septem & Juliorum septem Monetæ prædictæ cum dimidio alterius Julii parisi; ac reliqui Archidiaconatus S. Petri de Franca respective nuncupatorum, cujus quingentorum septuaginta unius, & Juliorum septem Monetæ prædictæ cum dimidio alterius Julii similis in prædicta Vicensi; ac Thesaurarius majoris nuncupati in eadem Lamacensi respective Ecclesiis respective dignitatum, non tamen post Pontificalem majorum, nullamque, vel modicam tantum residentiam requirentium, quarum aliquibus etiam nonnullæ Parochiales Ecclesiæ, & seu illarum

fructus similiter perpetuo unitæ, annexæ, & incorporatæ, & seu uniti, annexi, & incorporati respective existunt, ac cujus quingentorum quatuordecim ducatorum auri parium, & Juliorum octo Monetæ prædictæ respective fructus, redditus, & proventus secundum æstimationem prædictam valore annuum, ut similiter accepimus non excedunt; omnes, & singulos eorum, ac cujuslibet eorum fructus, redditus, & proventus prædictos etiam, ut præfertur ex decimis, & aliis quibuscumque proventibus etiam ratione prædictorum, & forsan aliorum eis, & eorum cuiuslibet respective annexorum, nec non bonis, proprietatibus, juribus, censibus, laudemis, contributionibus prædialibus vulgo *Pitancas*, ceterisque proventibus, obventionibus, & emolumentis quibuscumque certis, & incertis proventibus, aut in pecunia, vel fructibus, aut quibuslibet aliis rebus quomodolibet consistentes, & ad ultimodictas decem dignitates, ac illas pro tempore obtinentes quocumque titulo etiam, donationum, oblationum, lucuofarum, contractus cujuslibet etiam onerosi aut legatorum etiam personalium nuncupatorum, seu alia quavis causa, vel jure nunc, & pro tempore, & seu etiam de novo, aut in futurum spectantes, qui omnes, & singuli ultimodictarum decem dignitatum respective fructus, redditus, & proventus annuam summam sex millium centum triginta unius ducatorum auri similia, & Juliorum tresdecim Monetæ prædictæ, ut pariter accepimus, constituunt, ex nunc, quo ad dignitates, ac Canonicatus, & Præbendas, nec non Canonicatus cum dimidia Præbenda, seu dimidios Canonicatus, & dimidias Præbendas hujusmodi, quæ, & qui actu nunc vacant; quo vero ad illas, & illos, quæ, & qui minime vacant de præfenti, ex nunc prout ex tunc, & econtra, ac cum primum omnes, & singulas dignitates, ac omnes, & singulos Canonicatus, & Præbendas, nec non Canonicatus cum dimidia Præbenda, seu dimidios Canonicatus, & dimidias Præbendas hujusmodi, ac illarum quamlibet, & illorum quemlibet per cessum, etiam ex causa permutationis etiam in nostris, & Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, vel decessum, seu privationem, aut dimissionem, vel amissionem quorumcumque illas, & illos, aut illarum, & illorum quamlibet, & quemlibet quomodolibet obtinentium, & obtinentes, aut alias quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam ex quocumque decreto vacationis, seu cessationis cujuscumque juris Apostolica autoritate in provisionibus de aliis Beneficiis illas, & illos quomodolibet obtinentibus, eadem Apostolica autoritate factis quomodolibet apponendi, seu tunc appposito, etiam in aliquo ex mensibus Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existentis, Sedique Apostolicæ prædictæ per Constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas editas, vel edendas, vel alias quomodolibet reservatis, seu Ordinariis Collatoribus per easdem Apostolicas Constitutiones, Cancellariæ prædictæ regulas, seu literas Alternatarum, aut alia privilegia, & Indulta concessa, seu jure ordinario, vel alias competentia vacare contigerit, etiam si actu nunc, ut præfertur, aut alias quovis modo, quem, etiam si ex illo quavis generalis reservatio etiam in corpore juris clausula, resulet, præsentibus haberi volumus pro expresso, etiam si illas, & illos, & illarum quamlibet, ac illorum quemlibet nunc obtinentes, & obtinens Nostræ, aut Romani Pontificis pro tempore existentis, seu cujusvis S. R. E. Cardinalis etiam tunc viventis familiares, seu familiares, continui commensales, seu continui commensales, aut Romanæ Curie officiales, seu officialis, aut alias quancumque reservationem, seu affectionem quomodolibet inducentes, seu inducens extiterint, seu extiterit, seu per illas, & illos,

aut illarum quamlibet, & illorum quemlibet obtinentium, seu obtinentis, vel quorumvis aliorum de illis, & illarum qualibet, & illorum quolibet in Romana Curia prædicta, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & testibus respective factas liberas resignationes, aut asequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis autoritate collati respective vacent, seu vacet, etiam si tanto tempore vacaverint, seu vacaverit, quod eorum, seu ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii, ad Sedem Apostolicam prædictam legitime devoluta existat, ipsæque Dignitates, nec non Canonicatus, & Præbendæ, ac Canonicatus cum dimidia Præbenda, seu dimidii Canonicatus, & dimidia Præbendæ præfati, ac illarum quilibet, & illorum quilibet dispositioni Apostolicæ specialiter, vel alias generaliter reservata, & reservati, ac reservata, & reservatus existant, & existat; & super eis, seu earum aliqua, vel eorum aliquo inter aliquos, cuius statum etiam præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tamen Dignitatibus, & Canonicatibus, & Præbendis, nec non Canonicatibus cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonicatibus, & dimidiis Præbendis prædictis, illisque, & illos pro tempore respective obtinentibus nulla nisi ea, quæ per Vicarios perpetuos exerceri solet, cura immineat animarum; Apostolica autoritate prædicta perpetuo separamus, dismembramus, & jungimus: Ac omnes, & singulos omnium, & singulorum respective fructuum, reddituum, & proventuum a Patriarchali Ulixbonensi Occidentali, ac Archiepiscopalibus, & Episcopalibus Ecclesiis prædictis, nec non ex Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis, nec non Canonicatibus cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonicatibus & dimidiis Præbendis tertiam, & dimidiam, ac tres ex quatuor respective partes prædictas, nec non omnes, & singulos fructus, redditus, & proventus ab ultimodictis decem Dignitatibus, ut præfertur dismembratas, separatas, & seunctas, ac respective separatos, dismembratos, & seunctos in viginti quatuor portiones æquales dividi, easque sic dividas in earum respective naturalibus, industrialibus, & civilibus fructibus, redditibus, & proventibus præfatis perfolvi debere volumus, & statumque, eisque sic divisis, & perfolvi debitis unamquamque ex portionibus hujusmodi unicuique ex Dignitatibus, ac unicuique ex Canonicis Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis præfate, cum hoc tamen, quod Patriarcha Ulixbonensis Occidentalis pro tempore existens cum consilio, & consensu præfati Joannis Regis super tertia parte fructuum, reddituum, & proventuum a Patriarchali Ulixbonensi Occidentali, ac Archiepiscopalibus, & Episcopalibus Ecclesiis præfatis a Nobis sic ut præfertur, dismembrata præfata unam super tertia vero, ac dimidia, ac tribus ex quatuor respective partibus a Dignitatum, & Canonicatum, & Præbendarum, nec non Canonicatum cum dimidia Præbenda, seu dimidiorum Canonicatum, & dimidiarum Præbendarum, nec non ultimodictarum decem Dignitatum respective fructibus, redditibus, & proventibus præfatis a Nobis per præfentes, ut præfertur, dismembratis præfatis, ac Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis a Nobis, ut infra applicandis, alteram eorumdem respective fructuum, reddituum, & proventuum quotas Joanni Regi, ac Patriarchæ præfatis beneficas, dummodo tamen primodictæ videlicet a Patriarchali Ulixbonensi Occidentali, ac Archiepiscopalibus, & Episcopalibus Ecclesiis præfatis quartam, secundodictæ vero quotæ hujusmodi, ut infra statuendæ, tres quartas a Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis, nec non Canonicatibus cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonicatibus, & dimidiis Præbendis præfatis a Nobis per præfentes, ut præfertur dismembratorum, separatorum, & seunctorum respective fructuum, reddituum, & proventuum præfatorum respective partes respective non excedant, ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis fabricæ utilitatem, & indigentias, nec non Ministrorum eidem Patriarchali Ecclesiæ Ulixbonensi Occidentali nunc, & pro tempore inservientium sustentationem convertendas, & a singulis Dignitatibus, & Canonicis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis singulis annis perpetuo perfolvendas infra tempus Joanni Regi, ac Patriarchæ præfatis benefisum, statuere possit, & valeat.

§. 4. Ita quod liceat nunc, & pro tempore existentibus ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Dignitatibus, & Canonicis, & eorum quilibet per se, vel Procuratores, Actores, Exactores, vel Œconomos suos, eorum respective nomine corporalem, actualem, & civilem omnium, & singulorum fructuum, reddituum, & proventuum a nobis per præfentes, ut præfertur, dismembratorum, separatorum, & seunctorum, quoad Ecclesiarum videlicet Dignitatum, Canonicatum, & Præbendarum, ac Canonicatum cum dimidia Præbenda, seu dimidiorum Canonicatum, & dimidiarum Præbendarum quæ, & qui nunc vacant, videlicet a die datæ præsentium; quo vero ad illarum, & illorum quæ, & qui minime vacant de præfenti respective fructus, redditus, & proventus, ut præfertur dismembratos, seunctos, & separatos, & ut infra applicandos prædictis a die illarum, & illorum respective eventuræ vacationis respective apprehendendam possessionem propria autoritate libere apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, ipsosque fructus, redditus, & proventus per se, vel alium, seu alios in propria specie, & non alias, & si species inseparabilis, & individua sit, in quota parte iusti valoris percipere, administrare, exigere, & levare, ac tam ex horreis communibus, quam ex aliis quibuscumque locis, ubicumque servati existant, extrahere, eosque libere locare, & in electione Exactorum dictorum fructuum, reddituum, & proventuum, *Priestes* nuncupatorum, aliorumque similium Officialium vocem per ipsos Conductores, seu eorumdem Dignitatum, & Canonicorum dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Procuratores, vel Œconomos habere, nec non ab eisdem Œconomis, seu Administratoribus reddituum Cathedralium Ecclesiarum, & Dignitatum, ac Canonicatum, & Præbendarum, nec non Canonicatum cum dimidia Præbenda, seu dimidiorum Canonicatum, & dimidiarum Præbendarum præfatorum, reliquisque Officialibus quibuscumque, ac Exactoribus illarum, seu illorum, vel & ab ipsis Episcopis, Dignitatibus, & Canonicis, quatenus opus sit, juramentum super vera quantitate quorumcumque respective reddituum præfatorum exquirere, ac eos ad præfatum juramentum præstandum compellere, ceterosque dictæ administrationis actus exercere, dictosque omnes, & singulos fructus, redditus, & proventus ex Patriarchali Ulixbonensi Occidentali, & Archiepiscopalibus, & Episcopalibus Ecclesiis, nec non Dignitatibus, & Canonicatibus, & Præbendis, ac Canonicatibus cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonicatibus, & dimidiis Præbendis præfatis a nobis per præfentes, ut præfertur dismembratos, separatos, & seunctos, ac ut infra applicandos ab omni decima, quarta, media, & quavis alia fructuum parte, subsidio etiam charitativo, & excusato, & quocumque alio tam ordinario, quam extraordinario onere, cogitabili, vel excogitabili etiam reali, perpetuo, vel ad tempus quomodolibet nuncupato, etiam pro Patriarchali Ulixbonensi Occidentali, ac Archiepiscopatum,

& Episco-

Dismembratio tertia partis, cuique respectiva applicatio.

Opportunitatem facultatum concessit Canonicis Patriarch. Ecclesiæ super applicatis redditibus.

& Episcopatum Ecclesiarum prefatarum, vel illis, aut unicuique ex Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis, nec non Canonicatibus, & cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonicatibus, & dimidiis Præbendis annexarum cum cura, & sine cura Ecclesiarum, Cappellarum, sive Altarium respective Fabrica; & quavis etiam dicta Apostolica, seu ordinaria respective autoritate, & Regia potestare, ac ex quacumque etiam urgenti, urgentissima, & de necessitate exprimens causa, etiam pro Seminario Puerorum Ecclesiastico, classis Trirerum reparatione, & Fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cruciatæ Sanctæ, & expeditione contra Turcas, ac alios Orthodoxæ Fidei hostes, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, etiam Portugaliæ, & Algarbiorum Regnorum prefatorum, nec non Ducum, Rerum publicarum, & aliorum quorumcumque Principum instantiam, intuitum, & contemplationem, ac pro eorum, & Sedis Apostolicæ prefatæ necessitatibus, aut alias canonice, vel de facto impostis, vel pro tempore quomodolibet imponendis vel eisdem Patriarchali Ulixbonensi Occidentali, ac Archiepiscopilibus, & Episcopilibus Ecclesiis, aut Dignitatibus, & Canonicatibus, & Præbendis, nec non Canonicatibus cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonicatibus, & dimidiis Præbendis prefatis, ex fundatione, institutione, vel statuto, sive consuetudine, etiam ratione mulctarum, vel cuiuslibet alterius pœnæ, diminutionis, amissionis, seu oneris, sive quocumque alio nomine, aut alio quolibet modo, & causa nunc, & pro tempore respective inhaerentis, aut quæ, seu qui ex dictis, vel aliis hic non expressis, aut futuris, & non prævisis causis in diminutionem fructuum, reddituum, & proventuum redundare possint, ac etiam quacumque pensionem super eisdem fructibus, redditibus, & proventibus Apostolica autoritate prefata etiam perpetuo, etiam in favorem Tribunalis Sacræ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, vel cuiuslibet alterius pii loci, vel alias quomodolibet in futurum reservanda, quæ omnia Patriarcha Ulixbonensis Occidentalis, Archiepiscopi, & Episcopi, nec non Dignitates, & Canonici prefati nunc, & pro tempore existentesolvere teneantur, etiam si in impositionibus huiusmodi caveatur expresse, quod Pensionarii, seu Reservatarii partis fructuum Patriarchalis Ulixbonensis Occidentalis, ac Archiepiscopatum, & Episcopatum Ecclesiarum prefatarum, ac Dignitatum, & Canonicatum, & Præbendarum, nec non Canonicatum cum dimidia Præbenda, seu dimidiarum Canonicatum, & dimidiarum Præbendarum prefatorum pro rata pensionum, reservationum, & applicationum suarum quantumvis exemptarum, contribuere teneantur, ac alias in omnibus, & per omnia, & omnino quoad omnia liberos, immunes, & exemptos prout per eisdem præfatos eximimus, & liberamus, ac exemptos, & liberatos esse volumus sub conditionibus infra positis exigere, levare, & in communes usus, & utilitatem prefatæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, ut præfertur, eiusque Dignitatum, ac Canonicorum, ceterorumque Ministrorum ei in divinis inservientium indigentias, ac sumptus respective modo, & forma prefatis convertere, Diocesani loci, vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita.

Portio Dignitatum d. Ecclesiæ assignata.

§. 5. Cum hoc tamen, quod sex Dignitates, & octodecim Canonici dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis eveniente singula ultimodictarum decem Dignitatum respective pro tempore vacatione, singulis singulas ultimodictas decem Dignitates huiusmodi pro tempore respective obtinentibus, vel earum respective Mensæ Capitulari centum septuaginta unum

ducatos auri pares, & Julios septem moneta prefata cum dimidio alterius Julii similis summam trecentorum millium regalium monete Portugaliæ constituentibus singulis annis persolvere debeant, & teneantur, quodque omnia, & quæcumque onera, obligationes, expensæ, & amissiones, quæ ultimodictis decem Dignitatibus, easque, & earum singulas nunc respective obtinentibus respective incumbunt, illa videlicet, & illæ, quæ personalia, & personales, ab iis, qui eisdem ultimodictis decem Dignitates pro tempore obtinebunt, alia vero, & alia, quæ realia, & reales esse dignoscuntur ab eisdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Capitulo, ac Dignitatibus, & Canonici prefatis ex nunc quoad illas ex prefatis decem Dignitatibus ultimodictis, quæ ad præfens vacant, quo vero ad illas, quæ minime vacant de præfenti, ex tunc, & cum primum illas, & illarum quamlibet quomodolibet, ut præfertur vacare contigerit, respective supportentur, & supportari debeant, Apostolica autoritate, motuque pari etiam perpetuo applicamus, & appropriamus.

§. 6. Porro attendentes, quod super nonnullarum ex Dignitatibus, & nonnullorum ex Canonicatibus, & Præbendis, nec non Canonicatibus cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonicatibus, & dimidiis Præbendis respective fructibus, redditibus, & proventibus prefatis, quarum, & quorum eorundem respective fructuum, reddituum, & proventuum respective tertia, dimidia, ac tres, ex quatuor respective partes per præfentes a Nobis, ut præfertur, dismembratæ, & applicatæ existunt, nonnullæ pensiones annuæ, & forsan earum aliquæ perpetuo Apostolica autoritate prefata reservatæ reperiuntur; Nos ut earum oneri consulamus, per eisdem præfentes decernimus, & statuimus, quod si pensiones huiusmodi perpetuo reservatæ reperiuntur, earum integra solutio, eisdemque solutionis onus ad Dignitates, & Canonicatus, & Præbendas, nec non Canonicatus cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonicatus, & dimidiis Præbendas huiusmodi, super quorum fructibus, redditibus, & proventibus reservatæ reperiuntur pro tempore obtinentes omnino spectet, & pertineat; Pensionum vero, quæ dumtaxat ad alicuius vitam reservatæ reperiuntur, solutio etiam ex tertia, ac dimidia, ac tribus ex quatuor fructuum, reddituum, & proventuum, ut præfertur, applicatorum prædictorum respective partibus prefatis, & pro rata respective partium huiusmodi, donec pensiones ad alicuius vitam reservatæ huiusmodi duraverint, faciendæ sit.

§. 7. Ne autem ob dismembrationem, & separationem a Nobis per Præfentes, ut præfertur, factas huiusmodi, ulla dubitationis oriatur occasio super expensis in expeditione Literarum Apostolicarum ab eis, qui pro tempore ad Patriarchalem Ulixbonensem Occidentalem, ac Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias prædictas pro tempore promovendi erunt, nec non ab eis, qui de Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis, nec non Canonicatibus cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonicatibus, & dimidiis Præbendis prædictis, ex quarum, & quorum respective fructibus prefatis, tertia fructuum, ut præfertur applicatorum pars a Nobis per præfentes, ut præfertur dismembrata a Dignitatibus, & Canonicatibus, ac Præbendis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, etiam, ut præfertur applicata existit pro tempore providendi erunt, respective faciendis, quod ad Patriarchalem Ulixbonensem Occidentalem, ac Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias prædictas pro tempore promoti, seu ad illas nominati, vel electi, nec non de Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis, nec non Canonicatibus cum dimidia

Quo pacto, & a quibus solvendæ sint Pensiones super Præbendis hic taxatas impostæ.

De modo servando in expeditione Literarum Ap. Provisionis Dignitatum, Canonicatum &c. taxatorum.

Præbenda, seu dimidiis Canonicatibus, & dimidiis Præbendis, ex quorum fructibus, redditibus, & proventibus tertia fructuum, reddituum, & proventuum, ut præfertur applicatorum hujusmodi pars a Nobis per præfentes, ut præfertur difmembrata, & Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, etiam ut præfertur applicata extitit per obitum, aut resignationem, vel liberam dimissionem, sive renunciationem, aut per viam deputationis in Coadjutorem perpetuum super illarum, & illorum respective regimine, & administratione cum futura in illis respective successione, aut alias quomodolibet provisi, omnes, & quascumque expensas necessarias, & opportunas in expeditione Literarum Apostolicarum desuper expediendarum integraliter, ut prius, & prout ante difmembrationem, separationem, conjunctionem, nec non applicationem, & appropriationem a Nobis per præfentes, ut præfertur, factas hujusmodi, facere debuissent, absque ulla diminutione, & absque eo, quod ob difmembrationem, separationem, conjunctionem, nec non applicationem, & appropriationem a Nobis per præfentes, ut præfertur respective factas hujusmodi, aliquid unquam a Patriarchali Ecclesiâ Ulixbonensi Occidentali, ejusque Dignitatibus, & Canonicis præterire possint, & valeant, facere, aliaque omnia, & singula jura Datarie, & Cancellarie, & Camere nostræ Apostolicis debita.

§. 8. Quo vero ad unum, & alterum Archidiaconatus ejusdem Ecclesiæ Portugallensis, ex quorum fructibus, redditibus, & proventibus dimidia, ac tres ex quatuor eorundem fructuum respective partes hujusmodi, nec non quoad ultimodictas decem dignitates, quorum omnes, & singuli fructus, redditus, & proventus præfati a nobis per præfentes, ut præfertur, difmembratæ, junctæ, & separatæ, ac difmembrati, juncti, & separatæ, nec non Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, etiam ut præfertur applicatæ, & appropriatæ, extiterunt, quod de uno, & altero præfata Ecclesiæ Portugallensis Archidiaconatus hujusmodi, nec non de ultimodictis decem dignitatibus, etiam ut præfertur, pro tempore providendi in expeditione Literarum Apostolicarum desuper conficiendarum Datarie, & Cancellarie, ac Camere præfatarum jura, & expensas hujusmodi, non nisi rationem partis fructuum, reddituum, & proventuum uni, & alteri præfata Ecclesiæ Portugallensis Archidiaconatus hujusmodi remanentis ad rationem portionis ultimodictis decem dignitatibus, & earum singulis a Capitulo, nec non dignitatibus, & Canonicis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, ut præfertur, persolvendæ, & non alias persolvere respective debeant, & teneantur.

§. 9. Quodque omnes, & quicumque fructus, redditus, & proventus præfati a nobis per præfentes ut præfertur difmembrati, juncti, & separatæ, & Dignitatibus, & Canonicatibus, & Præbendis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis applicati, & appropriati pro æquali rata inter fructus certos, sive grossos ad unamquamque, & unumquemque ex dictis dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis spectantes annumerentur, ita, quod sic, annumerati; Si super dictis Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, illarumque, & illorum provisionibus, Literas Apostolicas expediri contingat, ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis dignitatis post Pontificalem majoris videlicet fructus, redditus, & proventus certi, qui alias juxta Taxam in præfatis ejusdem Cle-

mentis Prædecessoris ab Innocentio etiam Prædecessore nostro præfato desuper in forma præfata expeditis literis constitutam Summam mille quingentorum quinquaginta trium, computatis vero distributionibus quotidianis, mille septingentorum septuaginta septem non excedebant deinceps bis mille septingentorum quinquaginta trium, computatis vero distributionibus præfatis bis mille nongentorum septuaginta octo; cujuslibet vero ex aliis quinque dignitatibus, & octodecim Canonicatibus, & Præbendis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis respective fructus certi, qui juxta eandem Taxam etiam Summam mille quingentorum viginti octo, computatis vero distributionibus quotidianis mille septingentorum octo ducatorum auri parium similiter non excedebant, deinceps bis mille septingentorum viginti octo, computatis vero distributionibus præfatis bis mille nongentorum octo ducatorum auri similium eorum respective valorem annuum non excedere respective exprimantur, & exprimi debeant, eadem autoritate decernimus, & statuimus: Quo vero ad fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum dispositionem, & usum, tam in divisione reddituum, quam in vacationibus Dignitatum, ac Canonicatum, & Præbendarum dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis faciendam, sive faciendum, idem servetur ordo, qui a dicto Clemente Prædecessore in prædictis literis in dicta forma expeditis præscriptus fuit.

§. 10. Ac demum Patriarchæ Ulixbonensi Occidentali pro tempore existenti præfato ad augendum in dicta Patriarchali Ecclesiâ Ulixbonensi Occidentali divini Servitii cultum, ut ipse cum paribus consilio, & consensu ejusdem Joannis Regis novum aliquod Beneficium Ecclesiasticum, seu aliqua nova Beneficia Ecclesiastica, seu novum Canonicatum, & novam Præbendam, seu novos Canonicatus, & novas Præbendas pro Clerico, seu Clericis, aut Presbytero, seu Presbyteris idoneo, seu idoneis, novo futuro Beneficiato, seu novis futuris in dicta Patriarchali Ecclesiâ Ulixbonensi Occidentali Beneficiatis, seu novo futuro Canonico, aut novis futuris dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Canonicis a prædicto Joanne Rege, ut infra respective presentando, seu presentandis, qui omnibus, & singulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, & facultatibus, quibus alii dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Canonici, & Beneficiati respective utuntur, & gaudere, respective etiam uti, frui, potiri, & gaudere possint, & valeant, ex redditibus in ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis utilitatem, illiusque Ministrorum sustentationem tam a prædicto Clemente Prædecessore per supralatas literas in dicta forma expeditas, quam per præfentes a nobis, ut præfertur, assignatis, & applicatis, ex illis videlicet, quos congruis ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Fabricæ præfata manutentioni, ac Ministrorum eidem Patriarchali Ecclesiæ Ulixbonensi Occidentali inservientium sustentationi præfatis superesse contigerit, perpetuo erigere, & instituire, eisque sic erectis, & institutis pro illorum respective dote, ac illa, & illos pro tempore respective obtinentium congrua sustentatione, redditus in usum fabricæ, aliarumque dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis indigentiarum, ac Ministrorum eidem Patriarchali Ecclesiæ Ulixbonensi Occidentali inservientium sustentationem, ut præfertur applicatos, & appropriatos præfatos, illos videlicet, qui ut præfertur, superfuerint, perpetuo applicare, & appropriare, nec non Beneficio, seu Beneficiis, aut Canonicatu, & Præbendæ, seu Canonicatibus, & Præbendis ab eo, ut præfertur, erigendo seu erigendis in actu ejus, seu eorum erectio-

Patriarchæ datur facultas novos erigendi Canonicatus, seu Beneficia.

In Literis Provisionum Dignitatum, & Canonicatum Ecclesiæ Patriarchalis qualis valor sit exprimentus.

Hujusmodi
erigendorum
Beneficio-
rum Juspatro-
natus Regi,
ejusque Suc-
cessoribus af-
feritur.

nis hujusmodi, onera Servitii in dicta Patriarchali Ecclesia Ulixbonensi Occidentali, vel extra illam ab eo, seu ab eis præstandi, præscribere, & imponere, nec non privilegia, Indultus, gratias, exemptiones, libertates, immunitates, facultatesque præfatas, ac præfatas, etiam illa, vel illas, quæ de Jure Canonicatibus, & Præbendis, nec non Beneficiis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis competere, & inesse dignoscuntur, ei, vel eis similiter in actu erectionis præfate limitare libere, & licite possit, & valeat, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, & indulgemus.

§. 11. Insuper eidem Joanni, & pro tempore existenti Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Juspatronatus, & præsentandi, ac nominandi ad Beneficium, seu Beneficia, aut ad Canonicatum, & Præbendam, seu Canonicatus, & Præbendas sic, ut præfertur, ab eodem Patriarcha Ulixbonensi Occidentali pro tempore existente præfate erigendum, seu erigenda, vel erigendos, & erigendas hujusmodi personam idoneam seu personas idoneas tam ex prima vice a primæva ejus, aut eorum respective erectione, & institutione præfatis vacans, seu vacantis, aut vacantes, quam etiam decetero, dum illud, seu illa, aut illos quibusvis modis, & ex quorumcumque personis etiam nostris, aut Romani Pontificis pro tempore existentis, seu cujusvis S. R. E. Cardinalis etiam nunc viventis Familiaribus, continuis commensalibus, seu Romanæ Curie Officialibus, aut alias quomodolibet reservationem, & affectionem quamcumque Apostolicam inducentibus, seu per liberas etiam ex causa permutationem, seu resignationes de illo, vel illis in Romana Curia prædicta etiam in manibus nostris, seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel extra eam quomodolibet factam, seu factas, aut admissam, seu admissas, aut affectionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati, seu illud, vel illa, aut illos, & illas pro tempore obtinentium decessum, vel quamvis aliam dimissionem, amissionem, privationem, Religionis ingressum, Matrimonii contractum, aut alias quomodocumque, & qualitercumque simul, vel successive, etiam apud Sedem Apostolicam prædictam vacare contigerit, in illo, vel illis per Ordinarium loci ad presentationem dicti Joannis, & pro tempore existentis Portugalliæ & Algarbiorum Regis instituendam, seu instituendas, Motu simili pariter perpetuo reservamus, concedimus, & assignamus; Nec non Juspatronatus, & præsentandi, ac nominandi hujusmodi vere regium existere, eidemque Joanni, ac Portugalliæ, & Algarbiorum Regi pro tempore existenti præfate non ex privilegio, sed ex vera primæva, reali, actuali, plena, integra, & omnimoda fundatione, & perpetua dotatione competere, & ad Joannem, & pro tempore existentem Portugalliæ, & Algarbiorum Regem prædictum pertinere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem, & roboris firmitatem Juspatronatus Regii hujusmodi obtinere, ac uti tale sub quacumque derogatione etiam cum quibusvis pregnantissimis, & efficacissimis clausulis, & decretis, etiam cum clausula: *Quorum tenores &c.* in quacumque dispositione, etiam per viam Constitutionis, Legis, Regulæ Cancellariæ nostræ, aut alias quomodocumque facta, nullatenus comprehendendi, nec illi ullo unquam tempore, sub quocumque prætextu, & ex quacumque causa quantumvis urgenti, urgentissima, & legitima per Nos, seu quoscumque alios Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes, vel Sedem eandem aut illius Legatos, etiam de Latere, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu cujusvis instituti contemplatione per quascumque literas Apostolicas etiam in forma Brevis, quavis etiam derogatarum

derogatorias, ac fortiores, & insolitas clausulas, nec non irritantia, & alia decreta quæcumque in se continentia, derogari, aut derogatum censei posse, neque debere, & in contrarium factas derogationes, necnon quascumque collationes, provisiones, institutiones, vel alias depositiones de Beneficio, seu Beneficiis, aut Canonicatu, & Præbenda seu Canonicatibus, & Præbendis a Patriarcha Ulixbonensi Occidentali pro tempore existente præfate sic, ut præfertur erigendo, seu erigendis, & tunc erectio, seu erectis pro tempore quoquo modo respective vacaturo, seu vacaturis, absque præfati Joannis, & pro tempore existentis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis consensu, seu præsentatione, aut nominatione respective factas, processusque desuper habendos, & inde tunc secuta, & sequenda quæcumque nulla, & invalida, nulliusque roboris, vel momenti fore, & esse, ac pro nullis, & infectis habenda, nec jus, vel coloratum titulum possidendi cuiquam per illa tribui, vel a quocumque adquiri posse decernimus.

§. 12. Et attento, quod præfatus Clemens Prædecessor in dictis ab Innocentio Prædecessore nostro præfate desuper in dicta forma expeditis literis inter alia voluit, quod applicatio, & appropriatio, aliaque per eandem dicti Clementis Prædecessoris in præfata forma expeditas literas in dicta Ulixbonensis Occidentalis Patriarchalis Ecclesiæ præbendarum, & Beneficiorum respective dotis augmentum concessa, & elargita locum minime habere valerent, nisi prius alia ejusdem Clementis Prædecessoris literæ super servitio a Dignitatibus, ac Canonicis, & Beneficiis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensi Occidentali præstando tunc emanata eorum debita executioni demandarentur; Secundodictæ vero ejusdem Clementis Prædecessoris literæ ex certis rationabilibus, & Nobis notis causis executioni hujusmodi demandari hucusque nequiverint; Nos ad avellendam omnem dubietatis, & controversiæ occasionem primodictarum Clementis Prædecessoris præfati literarum debite intimationis, illarumque tempore habili executionis, & quemlibet alium defectum sanantes, easque ad quoscumque effectus extrinsecos, quatenus opus sit, reintegrantes, & plenarie, ac plenissime revalidantes, Dignitatibus, nec non Capitulum, & Canonicis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, ut ipsi primodictarum literarum effectu, omnibusque, & singulis gratis, & Indultis eis in primodictis ejusdem Clementis Prædecessoris in præfata forma expeditis literis concessis, & elargitis gaudeant, utantur, & fruantur, perinde acsi præfata dicti Clementis Prædecessoris voluntas in primodictis literis nullatenus apposta fuisset, utque Dignitates, Capitulum, & Canonici dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis ex Patriarchali Ulixbonensi Occidentali, Archiepiscopalis, & Episcopalis Ecclesiæ, ac Dignitatibus, & Canonicatibus, & Præbendis Collegiarum respective Ecclesiarum, nec non Prioratibus, seu Abbatibus in primodictis præfati Clementis Prædecessoris in præfata forma expeditis literis designatis, quæ, & qui vacantes reperiantur, quantum legitime oporteat ad complementum summæ ex primodictarum dicti Clementis Prædecessoris literarum tenore in Dignitatum, Canonicorum, & Beneficiorum dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis utilitatem applicatæ, & appropriatæ a die datæ primodictarum dicti Clementis Prædecessoris literarum videlicet Quinto Kalendas Octobris anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo, quoad illas, & illos, quæ, & qui tunc vacabant, quo vero ad alios, & alias, quæ, & qui deinde vacaverunt, vel deinceps vacaturi, vel vacatura fuerint, ab illorum, seu illarum respective vacationis respective die

Quando unicuique Canonicatui applicatorum reddituum assignatio faciendâ sit.

respec-

respective computanda: Cum hoc tamen, quod omnes, & singulos fructus, redditus, & proventus prædictos per dictum Clementem prædecessorem, & per Nos per præsentis dictæ Patriarchalis Ulixbonensis Occidentalis Dignitatibus, & Canonicis prædictis, ut præfertur applicatos, & appropriatos, Dignitates, ac Capitulum, & Canonici dictæ Patriarchalis Ulixbonensis Occidentalis loco depositi, donec nova servitii in eadem Ecclesia Patriarchali Ulixbonensi Occidentali ab eis præstandi forma cum opportunis insuper Ordinationibus a Nobis, aut Romanis Pontificibus Successoribus Nostris præscribatur, illaque debite executioni demandetur, & huiusmodi depositi distribuendi ratio insimul statuatur, integros, & intactos, deductis dumtaxat necessariis expensis, aservare debeant, & aservari faciant, percipere, exigere, & levare, & ad eorum perceptionem, & exactionem huiusmodi plenissime essequendum omnibus, & singulis privilegiis, Indultis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus aliisque gratiis, tam in primodictis ejusdem Clementis prædecessoris literis, quam in eisdem præsentibus quomodolibet respective concessis, & impartitis perinde acsi simul, non autem separatim concessa, & impartita fuissent, eaque tam in primodictis Clementis Prædecessoris huiusmodi, quam in eisdem præsentibus respective literis totaliter inserta, & specialiter expressa fuissent, eaque, ac pariformiter uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, dicta Apostolica auctoritate, motuque pari, eorundem tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Dati Commissarii pro executione Literarum.

§. 13. Ut autem tam præsentis nostræ, quam primodictæ ejusdem Clementis Prædecessoris in forma prædicta expeditæ respective literæ, omniaque, & singula in eis respective contenta, quæ unum, eundemque dictæ Patriarchalis Ulixbonensis Occidentalis decorem illiusque Capituli, ac dignitatum, & Canonicorum favorem respiciunt, debite, paratæque executioni, omnimodæque demandentur observantia, Motu, Scientia, & potestatis plenitudine similibus etiam dilectis filiis nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio in Portugallia, & Algarbiorum Regnis nunc, & pro tempore commoranti, nec non duobus dignioribus, & antiquioribus Ministris, non tamen Regularibus, Tribunalis Inquisitionis Regnorum prædictorum nunc, & pro tempore existentibus in locum dilectorum pariter filiorum Inquisitoris Generalis, & Auditoris, seu Judicis Ecclesiastici Patronatus Regii, quibus una cum Nuncio prædicto a dicto Clemente Prædecessore primodictarum literarum in prædicta forma expeditarum executio demandata, & commissæ fuit, per præsentis committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios etiam quavis difficultate occurrente a prædicto Clemente Prædecessore, ac a nobis non prævisa, quæ effectum tam primodictarum ejusdem Clementis Prædecessoris in dicta forma expeditarum, quam nostrarum præsentium respective literarum minime retardare valeat, easque primodictas præfati Clementis Prædecessoris, ac præsentis nostras respective literas tam quoad quartarum partium prædictorum fructuum, reddituum, & proventuum naturalium industrialium, & civilium Patriarchalis, Archiepiscopalium, & Episcopalium, nec non quartarum partium fructuum, reddituum, & proventuum ex dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis Collegiatarum respective Ecclesiarum prædictarum, quam quoad tertiarum partium prædictorum fructuum, reddituum, & proventuum, naturalium, industrialium, & civilium earundem Patriarchalis, Archiepiscopalium & Episcopalium Ecclesiarum, nec non quartarum partium fructuum, reddituum, & proventuum a dignitatibus, nec non Canonicatibus, & Præ-

bendis, ac Canonicatibus cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonicatibus, & dimidiis Præbendis, nec non omnium, & singulorum fructuum, reddituum, & proventuum ultimodictarum decem dignitatum respective dismembrationes, & applicationes, aliaque omnia, & singula a prædicto Clemente Prædecessore per primodictas in forma præfata expeditas literas, & a nobis per præsentis respective concessa, & expressa debite executioni demandari faciant, ac ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte, & ad instantiam pro tempore existentium Capituli, Dignitatum, & Canonicorum dictæ Patriarchalis Ulixbonensis Occidentalis conjunctim, vel divisim fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Apostolica auctoritate, omnia, & singula præmissa, nec non in primodictis Clementis Prædecessoris prædicti in dicta forma expeditis literis contenta, & expressa quæcumque, quatenus eisdem præsentibus non adferentur, suum debitum fortiri effectum, ac ab omnibus, & quibuscumque personis firmiter, & inviolabiliter observari, & adimpleri, non permittentes modernos, & pro tempore existentes Capitulum, Dignitates, & Canonicos dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis a quoquam super omnibus, & singulis eis a prædicto Clemente Prædecessore per primodictas literas in dicta forma expeditas, & a nobis per præsentis respective concessis quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari; Contradiutores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis: Et insuper Judicibus prædictis, & eorum cuilibet quoscumque omnium, & singulorum præmissorum, nec non a Clemente Prædecessore prædictos per primodictas in forma præfata expeditas literas concessorum effectum impediunt, seu pro tempore existentes Capitulum, Dignitates, & Canonicos prædictos super eisdem præmissis, nec non ab eodem Clemente Prædecessore, ut præfertur, concessis molestantes, perturbantes, eisque quovis modo contradicentes etiam per Edictum publicum, confitto summarie de non tuto accessu, citandi, illisque, ac quibus, & quoties inhibendum fuerit, etiam per Edictum quoad Patriarcham, Archiepiscopos, & Episcopos sub Interdicti ingressus Ecclesiæ, quo vero ad alios inferiores sub excommunicationis, ac etiam pecuniariis, nec non privationis Beneficiorum, & Officiorum Sæcularium, & Ecclesiasticorum eorum arbitrio imponendis, moderandis, & applicandis pœnis inhibendi; ac eos, quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit, eas incurrisse servata forma Concilii Tridentini declarandi, ac censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, reaggravandi, & interdicendi plenam, & liberam motu pari dicta auctoritate concedimus facultatem.

§. 14. Denique pro faciliiori tam earundem dicti Clementis Prædecessoris in prædicta forma expeditarum, quam nostrarum præsentium respective literarum executione, & effectu, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus decernimus, & declaramus, quod in eventum, in quem pro tempore existentes Patriarcha, Archiepiscopi, & Episcopi, nec non dignitates, & Canonici, aut quicumque alii dignitatum, Canonicorum, & Beneficiorum dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis ratione applicationum præfatarum debitores, si solutionem, ab eis debito tempore faciendam quacumque de causa etiam legitima protrahere, seu in dubium revocare vellent, id nullatenus facere possint, nec super hoc in judicio, vel extra auditi valeant, nisi prius factò deposito juxta stylum Regni Portugallie

Contravenientes solutionem in hac Bulla præscriptam non audiendi in judicio, nisi prævio deposito pecunie.

Commissarii
hic nominati
perpetui Ju-
dices etiam
privative de-
clarantur in
causis quas a-
gitari super
his contin-
get.

Hæc literas
nullo notari
vicio posse
statui, sed
semper fore
validas.

illius quantitatis, quæ ab eis controversi vellet; quodque in exactionibus faciendis ab hujusmodi debitoribus procedi debeat via executiva; ut in debitis regalibus, ac summarie, & sine strepitu, & figura iudicii, ac sola facti veritate inspecta.

§. 15. Volumus ulterius, & eadem auctoritate decernimus, quod executores præfati pro tempore existentes simul, vel separatim in causis concernentibus liquidationem, exactionem, & solutionem quarum, tertiarum, aliarumque quarum dismembratarum, & respectively applicatarum præfatarum semper sint Iudices privative, & jurisdictione sua uti valeant contra quascumque personas, & quavis tam Archiepiscopali, Episcopali, quam alia quacumque dignitate præditas, etiam si, persona hujusmodi gaudeant privilegiis aut Indultis, ut in earum causis conveniri nequeant nisi in eorum foro, & coram certo eorum Iudice, quæ privilegia quoad causas liquidationis, exactionis, & solutionis hujusmodi locum habere non debere declaramus; immo ea ad hunc effectum revocamus; & quatenus opus sit, privilegiis, & Indultis hujusmodi quavis, & Apostolica auctoritate eis forsitan concessis specialiter, & expresse derogamus; ita ut semper causis præfatis in nullo alio Tribunali, præterquam coram Iudicibus prædictis pro tempore existentibus litigari possit.

§. 16. Præsentibus quoque semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel ex qualibet causa quantumvis legitima, & juridica, pia, privilegiata, ac speciali nota digna, etiam ex eo, quod dignitates, Canonici, & Beneficij dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, ac pro tempore existentes Patriarcha Ulixbonensis Occidentalis, Archiepiscopi, & Episcopi Portugallie, & Algarbiorum Regnorum, nec non dignitates, & Canonatus, ac Præbendas, nec non Canonatus cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonatus, & dimidiis Præbendas præfatos nunc, & pro tempore obtinentes, seu quicumque alii cujuscumque dignitatis, gradus, conditionis, & præminentie sint, in præmissis, & circa ea quomodolibet, & ex quavis causa, ratione, actione, vel occasione jus, vel interesse habentes, aut quomodolibet habere prætendentes illis non conferent, aut ad illa vocati, & auditii non fuerint, & cause propter quas eadem præsentibus emanaverint, adductæ verificatæ, & justificatæ non fuerint de subreptionis, & obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostræ, aut jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, & inexcogitabili, ac specificam, & individuum mentionem ac expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo, quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, & quavis alia servanda, & adimplenda servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a Jure vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultantibus, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione etiam in corpore juris clausa, occasione, aliave causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, & tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam, & terminos Juris, & aliud quodcumque Juris, facti, gratia, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, & potestatis plenitudine similibus concessio,

aut impetrato, vel emanato, uti, seu se jurare in iudicio, vel extra posse, neque eandem præsentibus, sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam præfatarum, etiam motu pari, ac ex certa scientia, etiam Concistorialiter, & quibusvis de causis, ac sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, etiam si de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fieret pro tempore faciendis, & concedendis comprehendit, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, ac eum, in quo antea quomodolibet, erant, statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quocumque posteriori data quodcumque eligenda concessas esse, & fore, sicque & non alias in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eisdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, & alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, officio, & dignitate fungentes, ac prerogativa, privilegio, præeminentia, & honore fulgentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quocumque iudicio, & in quacumque Instantia iudicari, & definiti debere, & si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

§. 17. Non obstantibus nostris, & Cancellariæ Apostolicæ de præstando consensu, de jure quæsito non tollendo, de exprimendo vero annuo valore, ac de unionibus, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet editis, & edendis regulis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones, seu applicationes perpetuas, non nisi in certis casibus, fieri prohibentibus, ac dismembrationes perpetuas super Patriarchalium, Archiepiscopaliū menfarum fructibus, redditibus, & proventibus non nisi ex cessionis, aut alia rationabili causa, quæ in Consistorio Nostro iusta, & honesta habita fuerit, ac certis aliis modo, & forma in dicto Concilio expressis reservari similiter prohibentibus, nec non quoad prædictam Executorum deputationem recolendæ mem. Bonifacii Papæ VIII. similiter Prædecessoris Nostri, aliisque quibusvis in contrarium præmissorum, etiam in Synodalibus, Universalibus, & Provincialibus Conciliis editis, vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Patriarchalis Ulixbonensis Occidentalis, ac Archiepiscopaliū, & Episcopaliū Ecclesiarum prædictarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia respectively roboratis statutis, eorumdemque statutorum Reformationibus, & novis editionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus dispositionibus, & ultimis voluntatibus in contrarium eorumdem præmissorum quibuscumque privilegiis etiam ex fundatione competentibus a Nobis, seu a quibuscumque Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri respectively concessis, nec non Indultis, & literis Apostolicis, illis, earumque Superioribus, & personis, ac locis quibuscumque etiam speciali, specifica, expressa, & individua mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogationibus derogationis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet,

Obstantium
derogatio.

etiam

etiam iteratis vicibus, in contrarium præmissorum concessis, approbatis, confirmatis, & innovatis, etiam in eis caveatur expresse, quod illis per quascumque literas Apostolicas, etiam motu simili, deque pari Apostolica potestatis plenitudine pro tempore concessas, quascumque etiam derogatorias derogatorias clausulas in se continentes, illis derogari non possit, neque censetur eis derogatum, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores eisdem presentibus, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, hic inserti forent pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad præmissorum omnium, & singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime, & plenissime, ac sufficienter, nec non specialiter, & expresse motu simili derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 18. Volumus autem, quod pro tempore promovendi ad Patriarchalem Ulixbonensem Occidentalem, ac Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias prædictas in expeditione literarum Apostolicarum super promotione de eorum Personis ad eandem Patriarchalem Ulixbonensem Occidentalem, ac Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias Apostolica auctoritate prædicta facienda reductionem taxæ, seu communis propter dismembrationem tertiæ partis earum fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum per Nos, ut præfertur, factam nullo modo prætereunda valeant, perinde ac si dismembratio, separatio, ac seunctio, nec non applicatio, & appropriatio, huiusmodi facta non fuissent.

§. 19. Volumus præterea, quod omnium, & singulorum fructuum, reddituum, & proventuum desuper expressorum prædictorum tertia, dimidia, ac tres ex quatuor respectivo partes a Nobis presentes, ut præfertur, dismembrata, & applicata prædicta in eorumdem fructuum specie, eorumque eventuali quantitate, etiam si quantitas huiusmodi major, vel minor fuerit quantitate illa, qua præsentibus expressa reperitur, perfolvi debeant.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ resolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, separationis, dismembrationis, seunctiois, exemptionis, liberationis, applicationis, appropriationis, concessiois, Indulti, reservationis, assignationis, sanationis, reintegrationis, revalidationis, commissiois, mandati, declarationis, statuti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigésimo octavo, sexto Idus Februarii, Pont. Nostri Anno Octavo.

Loco \ddagger Bullæ aureæ.

In promovendis Ecclesiis in expeditione Literarum Apostolicarum non prætereunda reductio Taxæ ratione præsentis dismembrationis.

Servanda quantitas in hisce Literis expressa.

Pœnæ contra temerarios Bullæ hujus.

Dat. die 8. Febr. 1738. An. VIII.

CCXIX.

Reservatio Jurispatronatus, & præsentandi ad omnes Dignitates, ac Canonicatus, & Præbendas, ceteraque Beneficia Cathedralis Ulixbonensis Orientalis Serenissimo Principi Joanni V. ejusque Successoribus Portugallia, & Algarbiorum Regibus.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Sedis Apostolicæ sollicitudo Christianorum Principum, quos ad exhibenda Ca-

tholica Ecclesia, eidemque Sedi eximia servitia promptos, alacresque dignovit, liberalitatis, & gratitudinis suæ testimoniis fovere nunquam desistit.

§. 1. Sane cum charissimus in Christo filius noster Joannes hoc nomine Quintus Portugallia, & Algarbiorum Rex Illustris præclaris majorum suorum vestigiis inhærens copioso piorum operariorum cæui ad amplificandum in longinquis Regionibus Agri Domini mensem, verbumque Dei seminandum indefessa vigilantia, & Regia liberalitate temporalia vitæ subsidia quotannis subministrare consueverit, divini cultus assiduum propagatorem se agere semper studuerit, nec non ejusdem Apostolicæ Sedis opportunitatibus, ut primum notas habuit, paratissimo obsequio, & auxilio, ut fidelissimum decet Principis non sine gravi suo, suorumque subditorum incommodo præsto esse sategerit.

§. 2. Nos tantis ejusdem Joannis Regis meritis paternæ nostræ considerationis lance pensatis, ut servitiorum prædictorum Apostolicæque liberalitatis vicissim præstata munera mutui inter se monumentum, & stimulus amoris existant, eidemque Joanni Regi, ejusque in dictis Regnis Successoribus uberiorem, qua piis, & benemerentibus Ecclesiasticis personis gratificari queant facultatem subministrare cupientes motu proprio, & ex certa scientia, meraque liberalitate nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eidem Joanni, & pro tempore existenti Portugallia, & Algarbiorum Regi Juspatronatus, & præsentandi, ac nominandi ad omnes, & singulas infra scriptas dignitates, omnesque, & singulos infra scriptos Canonicatus, & Præbendas, nec non Cappellaniam infra scriptam, ac dimidios Canonicatus, & dimidias Præbendas, nec non Quartanarias Ecclesiæ Ulixbonensis Orientalis, & Recanatum videlicet, qui post pontificalem major, ac cujus mille, & quinque ducatorum auri de Camera, & juliorum undecim moneta Romanæ, & ad Cantoratum, qui secunda, ac cujus septuaginta, & quadraginta sex ducatorum auri similibus, & juliorum trium moneta prædictæ, ad Archidiaconatum de Lisbona nuncupatum, qui tertia, ac cujus octingentorum, & sexaginta quinque ducatorum auri similibus, & juliorum duodecim moneta prædictæ cum dimidio alterius julii similis, & ad Thesaurarium majorem, qui quarta, ac cujus aliorum sexcentorum, & quadraginta quinque ducatorum auri de Camera huiusmodi, & juliorum duodecim moneta prædictæ cum dimidio alterius julii similis, & ad Archidiaconatum de Santarem, respectivo nuncupatum, qui quinta, ac cujus quingentorum, & septuaginta unius ducatorum auri de Camera huiusmodi, & juliorum septem moneta prædictæ cum dimidio alterius julii similis, & ad Scholasticam quæ sexta, ac cujus quadringentorum, & viginti duorum ducatorum auri de Camera huiusmodi, & juliorum quinque moneta prædictæ, & ad Archidiaconatum della terza Sedis nuncupatum, qui septima, ac cujus sexcentorum, & quinquaginta octo ducatorum auri similibus, & juliorum quinque moneta prædictæ, & ad Archipresbyteratum, qui octava inibi respectivo Dignitates existunt, ac cujus quingentorum, & septuaginta novem ducatorum auri similibus, & juliorum septem moneta prædictæ cum dimidio alterius julii, nec non ad unum, & unam tertiæ a Decani quorum sexcentorum, & decem, & octo ducatorum auri similibus, & juliorum quinque moneta prædictæ, ac ad alium, & aliam quarti ab ejusdem Decani, quorum quingentorum, & septuaginta novem ducatorum auri similibus, & juliorum septem moneta prædictæ cum dimidio alterius julii similis, ac ad alium, & aliam quarti a Cantoris, quorum quingentorum, & octuaginta unius ducatorum auri similibus, & juliorum duodecim moneta prædictæ cum dimidio alterius julii similis, ac ad alium, & aliam quinti a Decani prædicti, quorum septin-

Joannis Regis merita erga Catholicam Religionem, & Sedem Apostolicam.

Concessio, de qua in Rubrica.